

D. Rev. / 2

Annotationes et emendationes pro schemate "De Divina Revelatione"

Schema prout iacet in genere placet et esse potest basis disceptationis.
Quaedam vero proponuntur emendationes, quibus meliorari adhuc potest.

- pag. 5, lin. 10: Omittatur verbum "subsistentiam" quod nimis scholae sapit.
Eius loco suadetur emendatio a ^{at}ribus linguae germanicae
et a conferentia Episcoporum Scandinaviae proposita. Cf.
De D. Rev. E/414, pag. 112. Deinceps citabitur: Germ., pag..."
- 5, 11: Addatur mentio de mysterio Incarnationis. Cf. Germ., 112 et 113.
- 5, 17: Pro verbo "superno", scribatur "ultimo ac supernaturali".
- 5, 20: Hiatus inter Abraham et Evangelium nimis largus apparet. Introduci po-
test forsitan aliqua mentio prophetarum (Cf. Hbr, 1, 1).
- 5, 26: Melius esset si phrasis haec aliquantulum modificaretur, ne Parusia
Christi, quae in Sacris Scripturis "revelatio" dicitur (I Cor, 1, 7;
I Ptr 1, 7) videatur excludi.
- 5, 27: Pro "Christianismus" scribatur "aetas christiana"
- 6, β 3: Opera Christi non sunt tantum argumentum divinitatis eius.
- 6, 5: Non tantum "confirmavit" (quod nimis apologeticum sonat), sed etiam "ma-
nifestavit".
- 6, 11: Post verbum "mysterium", addatur "ipsius Dei et participationem...". Ra-
tio est ne revelatio modo nimis 'utilitario' proponatur.
- 7, 5: Proponitur sequens emendatio: "Quod quidem Apostoli aliique apostolici
viri fecerunt cum primo ore tenus, deinde etiam per scripta a Spiritu
Sancto inspirata tradendo ea, quae ex ipso Christi ore et a Spiritu
Sancto acdeperant." Cf. Germ., pag. 115.
- 7, 12: Post verba "S. Traditio", addatur: "quae viva in Ecclesia per doctrinam
Magisterii servatur, et quae simul ex sensu fidelium, ex usu liturgico,
ex monumentis, ex Scriptis Ss. Patrum et ex S. Hierarchiae actione elu-
cet, ita mutuo...". Cf. Germ., pag 115. Necessarium videtur aliquo modo
conceptum traditionis explanare, ne sensu nimis materiali intelligatur.
- 7, 14: Phrasis sic incipiat: "Nam ex eodem fonte..."
- 7, 19: Proponitur textus Germ., pag 116: "Sacrum Verbi Dei depositum in Sacra
Scriptura et in Traditione extans, non singulis hominibus, sed Ecclesiae
destinatur: eiusdem vero custodia et authentica interpretatio vivo et
infallibili Ecclesiae Magisterio concredita sunt."
- 7, 24: Pro verbis "in una vel alia depositi parte..." scribatur "in fidei de-
posito", ut quaestio de fontibus omnino intacta remaneat.
- 7, 25: Omittantur verba "et obscure"; satis enim est usus verbi "implicite".
Cf. Germ., 116.
- 7, 25s: Suadetur emendatio Germ., pag 117: "Exinde regula fidei singulorum cre-
dientium proxima quidem est doctrina Magisterii Ecclesiae, remota vero
Sacrum Depositum."
- 7, 28: Post verbum "consilium" addatur "in oeconomia salutis Christi". Cf. Germ.,
117.-
- 7, 31: Ultima linea sic mutetur: "...conferunt, sensu quoque omnium fidelium
concurrente". Cf. Germ., 117.-
- 9, 8: Post "praeditis" addatur "et veris auctoribus". Cf. Germ., pag. 118.

- 9, 8: Proponitur formula: "...usus est, ut revelationem divinam universis hominibus scripto traderent". Cf. Germ., pag. 118.
- 9, 13ss: Opportunum esset ut clarius adhuc doctrina de inerrantia Scripturae proponeretur, habita quidem retione loquendi modi hominum huius temporis. In eodem sensu, omitti potest in lin. 12 verbum "persus". Cf. Germ., pag. 118 - 119.
- 11, 25ss: Desideratur clarior expositio de progressu revelationis in historia salutis.
- 13, 11 - 16: Optatur ut haec paragraphus omittatur. Melius enim est doctrinam modo positivo proponere et sic erroribus ipsis adversari.
- 13, 17 - 29: Suadetur ut accipiatur textus Germ., pag 121: "Certum est quidem evangelia formam praeconii resonare et cum historicae compositionis rationibus, quae nostris praesertim aetetibus adhibetur, non in omnibus convenire, sed hoc non obstante salutis veram et sinceram historiam nobis tradunt."
- 14, 8: Pro verbo "Apostolorum" suadetur "canonicis", ne Concilium ingredi videatur in quaestionem de auctoribus librorum Novi Testamenti, quae quidem quaestio, pro aliquibus saltem libris, satis implicata est.
- 16, 16: Addatur: "...sive privatim ex Sacris Litteris profectum haurientes, legendo humiliter, simpliciter, fideliter" (Imit. Xti. 1, 5). Cf. Germ., pag 123.- **PATRIMONIO UC**
- 16, 24: Post verbum "aestimatione", addatur "crebra lectione".

Romae, d. 21 Martii 1964.

+ Aloysius E. Henriquez,
Epps. Tit. Lamdien. et Aux.
Caracensis.

+ Marcus G. McGrath R., C.S.C.,
Epps. S. Iacobi de Veraguas,
Panama.